



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 75. Ferdinandi connubium cum Nepte sua.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](#)

glexit, ac repetita Gallicæ curiæ manda-  
ta perperam elusit, vel Pisaniorum auro  
corruptus, vel secreto Regis mandato  
instructus, quo his urbibus minime ex-  
cedere jubebatur, vel demum mandatum  
transgredi jussus a Cardinale Brissone, A.C. 1495.  
qui Pisaniorum fautor Entragesio pollici-  
tus est, se illum, quidquid futurum esset,  
semper metu ac periculo soluturum.  
Quocirca hæc controversia non nisi in-  
eunte anno sequenti composita est, &  
quidem transactione non modo Floren-  
tinis parum proficia, sed etiam admo-  
dum molesta.

## §. LXXV.

*Ferdinandi connubium cum Nepte  
sua.*

Ferdinandus unice eo curas intendit, ut *Marian. l. 26*  
Gallos penitus e Regno Neapolis *n. 62.*  
propulsaret, cumque rebus suis nullum  
amplius præsidium in Mediolanensium  
Ducis potentia repositum sciret, eoquod  
ille reddit Novarræ urbe in gratiam  
Caroli Regis rediisset, in Regis Catholici  
auxilio omnem fortunæ suæ spem collo-  
cabat: Is igitur, ut Regem hunc arctiori a-  
micitiae vinculo sibi devinciret, filiæ ejus  
nuptias expedit: Ast Rex Catholicus  
Neapolitani belli exitum, forteisque præ-  
stolaturus, nullo certo responso postulata  
exce-

Sacul. XV.  
A.C. 1495.

excepit; unde Ferdinandus in aliis consiliis, atque nuptiis opem quærere compellebatur, valuitque successus; quippe paternus ejus Avus secundis nuptiis sibi Catholici Regis sororem desponsaverat, atque ex hoc thalamo non nisi unicam suscepit filiam tum duodecim annos natam; equidem illa, cum Ferdinandi Neptis esset, Neapolitano haud nubere potuisset, quin publicæ honestatis leges violaret: nihilominus ad hoc connubium Ferdinandum stimulabat propriæ utilitatis ratio, quæ in præsenti rerum suarum statu plurimum promoveri posset; hoc enim novo amicitiae foedere Regem Catholicum facile induci sperabat, ut eum adversus Gallos tueretur, eundemque, si forte in Neapolis regnum jus quoddam haberet, haud ægre ejusmodi juribus ob conjugalem societatem cessurum sibi pollicebatur. Præterea hæc nuptiæ potissimis Italiae Principibus probabantur, ipse quoque Pontifex iisdem consensu suo suffragatus est, atque impedimentum, quod illas morabatur, auctoritate Apostolica sustulit. Ergo Ferdinandus tori consortem accepit Joannam Neptem suam, Reginæ viduæ filiam, ac Principem tredecim vel quatuordecim annos natam. Comminæus hæc verba subiungit: Horrenda res videtur hujus matrimonii commemoratio.

§. LXXVI.

§. LXXVI.

Sæcul. XV.  
A. C. 1495.*Rex Lusitanice foederi adversus Gallos  
adscribi recusans.*

**A**b eo temporis articulo foederati Principes nil intentatum relinquebant, ut ceteros quoque Principes societati suæ adversus Carolum Regem adscriberent. Ipse Rex Catholicus Lusitanæ, & Angliae Reges aggregandi negotium in se suscepit: ast haud dissimulanter repulsam tulit a Lusitano, qui Hispaniæ Legato significabat, veteri amicitiæ vinculo Lusitaniam Gallis esse junctam; illud ergo dissolvere, nec æQUITATIS, nec proprii honoris rationem suadere. Aliunde Lusitanæ Rex in Papam indignationem concipiebat, eoquod Georgium Filium ejus Nothum justorum natalium dignitate donare renuisset, hancque repulsam tam indigne ferebat, ut Maximilianum Imperatorem Patrualem suum ad cendum juri, si quod nomine Eleonoræ Imperatricis Matris ejus in Regnum Lusitanæ haberet, inducere, illudque in Gregorium transferre conaretur; non enim ignorabat, nisi ille succederet, regnum, in quo hucusque pax floruisse, certe diffidiis, ac tumultibus scissum iri. Ceterum in Anglia non modo Henricus VI. acriter stimulabatur, ut foederatorum societatem